parte orientali, ubi stat adhuc pars muri, cum rupta testudine desuper dependente. Locus illius chori est omnibus sacrae Bibliae credentibus venerabilis. Judaei multum eum venerantur, quia credunt, sicut et nos, quod ibi fuerit oratorium David, sive tabernaculum, in quod ipse et universus Israel duxerunt arcam Dei cum canticis et instrumentis musicis in magno jubilo; ut habetur 2. Regum. 6. In hoc loco accepit etiam promissionem de Christo nascituro ex semine suo, ut dicitur 2. Regum. 7. Hic locus etiam templo constructo mansit semper celebris et populo dilectus. Unde Dominus Jesus in hoc loco frequenter solebat praedicare. Ideo in medio pavimenti sunt duo lapides altrinsecus positi: unus jacet in loco, in quo Dominus stans praedicavit; alter est in loco, in quo beata Virgo sermones filii audire consuevit. Loca illa et lapides (99 A) deosculati sumus prostrati in terram et indulgentias accepimus (†). In loco illo aliquantisper stetimus, et ruinas deplanximus, et per circuitum lapides sanctuarii dispersos dolentes aspeximus. Quondam enim fuit ibi grandis ecclesia valde, de qua nihil remansit nisi pars dextra in latere magnae ecclesiae dependens, quae pars hodie est ecclesia et chorus fratrum, ut praedixi: remansit etiam caput chori cum fenestra orientali, et semirupta testudine ruinam minante. Supra illam testudinis ruptae partem, ab intra, de loco missionis Spiritus sancti est ascensus per gradus, per quos et ascendi, et inveni pavimentum testidinis ruptae vario et polito marmore stratum; ex quo opinor, quod supra chorum et ecclesiam ad huc fuit alia ecclesia in alto. Et ita ecclesia Syon habuit tria interstitia consecrata, scilicet cryptam sub terra, ecclesiam super terram, et supra ecclesiam aliud ornatum tabernaculum. In choro antiquo stat adhuc summum altare, sed dissipatum. Consequenter declinavimus ad latus sinistrum antiqui chori, ut ad alia loca sancta pergeremus, et invenimus ibi sedere orientales Christianos juxta unum quadratum lapidem, qui de fundamento antiqui chori pro parte prominet, alia parte adhuc muro vetusto conjuncta est. In illo lapide ludebant illi Orientales sortiscantes quatuor lapillulis, ac si essent taxilli. Prima enim fronte aestimabam eos tesseribus ludere, et mirabar, quod ibi in publico, et ubi nulla est habitatio, sederent, nesciens quod

270
268
274
264
279
259
319
219
369
169

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;